

noscenda prodere. Quando tam multa consequar, tam sparsa colligam, tam occulta perspiciam? Premit a tergo senectus, et objicit annos inter vana studia consumptos: tanto magis urgeamus, et damna aetatis male exemptae labor sarciat. Nox ad diem accedat: occupationes recidantur: patrimonii longe a domino jacentis cura solvatur: sibi totus animus vacet, et ad contemplationem sui saltem in ipso fugae impetu respiciat! Faciet ac sibi instabit, et quotidie brevitatem temporis metietur. Quidquid amissum est, id diligenti usu praesentis vitae recolliget. Fidelissimus est ad honesta ex poenitentia transitus. Libet mihi exclamare illum poëtae inclyti versum:

Tollimus ingentes animos, et maxima parvo
Tempore molimur. — — —

Hoc dicerem, si puer juvenisve molirer. Nullum enim non tam magnis rebus tempus angustum est. Nunc vero ad rem seriam, gravem, immensam, post meridianas horas, accessimus. Faciamus, quod in itinere fieri solet. Qui tardius exierunt, velocitate pensant moram. Festinemus, et opus nescio an superabile, magnum certe, sine aetatis excusatione tractemus. Crescit animus, quoties coepit magnitudinem attendit, et cogitat, quantum proposito, non quantum sibi supersit. Consumsere se quidam, dum acta regum externorum componunt, quaeque passi invicem ausique sunt populi. Quanto satius est, sua mala extinguiere, quam aliena posteris tradere? Quanto potius, deorum opera celebrare, quam Philippri aut Alexandri latrocinia, ceterorumque, qui exitio gentium clari, non minores fuere pestes mortalium, quam inundatio, qua planum omne perfusum est; quam conflagratio, qua magna pars animantium exaruit? Quemadmodum Hannibal superaverit Alpes, scribunt: quemadmodum confirmatum Hispaniae cladi- bus bellum Italiae inopinatus intulerit; fractisque rebus etiam post Carthaginem pertinax, reges pererraverit, contra Romanos ducem se promittens, exercitum petens; quemadmodum non